



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

Qvintvm. Missam haudquaquam testamentum esse

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

*Luthe. ex-
communi-
cat sci-
sum.* ¶ Calix iste sit sanguis Christi. Quare nec
ex altero colligi potest quòd panis fuerit
corp^o Christi. Postremò videbis lector, si
Lutherù obserues, quàm aperto seipsum
feriat anathemate. Anathema (inquit)
sit, qui aliter quàm Paulus dixerit, & iota
aut apicem vnum mutarit. Quamobrem
quum Lutherus longe aliter Paulum re-
censeat, quàm vel ipse dixerit, vel ex eius
verbis possit colligi, an nò plane seipsum
anathemate ligat. Et hic finis esto quarti.

Missam haudquaquam testamentù esse.



*Intentio
Lutheris.*

Ed iam quinto loco nobis
executiendum est, an missa
rectè nouum dicatur testa-
mentum. Astruere conatur
Lutherus missam testamen-
tum esse, atque id ceu fun-
damentum immobile, super quo diaboli-
eam suam structuram erigat, constabilire
modis omnibus nititur. Nos verò nò am-
bigimus ostendere non solum hoc funda-
mentum non esse immobile, verumetiam
ea quæ super hoc ædificare molitus est,
nulla prorsus niti soliditate. Nã & ex eo-
dem fundamento colligit missam nò esse

sacrificium. Quæ res non solum auctori-
bus omnibus tam recentibus quam vetu-
stis, verumetiam ipsis scripturis aduersa-
tur, vti postea suo loco docebimus.

Cæterum causa totius erroris est, quòd
Lutherus Eucharistiam arbitratur sacra-
mētum esse remissionis peccatorum, quū
fit reuera nō remissionis, sed magis vnio-
nis cuiusdam sacramētum. Nostram enim
vnionem cum Christo significat, & ean-
dem cum deo patre non minus efficaciter
præstat. Quā rē nō modo testimoniis pa-
trū, verū etiā scripturis ipsis firmabimus.

*Eucharis-
tia non est
sacramen-
tum remis-
sionis pec-
catorū, sed
vnionis.*

Dionysius primū cap. 3. Ecclesiasticæ
hierarchiæ sacramentum istud ideo syna-
xim & communionem appellat, quòd no-
stram cum deo perficiat vnitatem.

Et Damascenus item communionē vo-
cat, quia per ipsum Christo communica-
mus, & participamus eius carne & diuini-
tate, & quia communicamus & vnimur
in vicem per id ipsum.

Sed & Chrysostomus in epistolam ad
Corinthios priorem de hoc sacramēto lo-
quēs, Quare (inquit) nō dixit Paulus par-
ticipatio? Quia amplius quiddam signi-
ficare voluit, & multam inter hæc conue-

nientiam ostendere. Non enim participatione tantum, & acceptione, sed vnitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum est Christo, ita & nos per hunc panem vnione cōiungimur.

Accedit his Hilarius octauo libro de trinitate, sic dicens: Si verè corporis nostri carnem assumpsit Christus, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nōsque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, quum naturalis per sacramentum proprietatis, perfectè sit sacramentum vnitatis?

Subscribit Augustinus in hunc modū: Sicut, vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum consperguntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura *Ar. 4.* sancta: Erat illis anima vna, & cor vnum in deum: sic & de vino fratres recolite vnde sit vnum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in vnitatem confunditur. Ita dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit. Mysteriū pacis & vnitatis nostræ in sua mensa cōsecrauit. Et alibi: Quomodo (inquit)

(inquit) videtis vnum esse quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt diuisionem, quum panis iste indicet vnitatem. Ex iis itaque liquet, hoc mysterium vnitatis & communionis esse symbolum atque sacramentum. At quid tot authoribus opus est, quum Paulus hæc rem abunde testetur? Poculum (inquit) benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quid sibi vult his verbis aliud Paulus, quam quod hæc sint communionis & vnitatis sacramenta? Et ob id sequenti capite, postea quam dissidiorum inter Corinthios meminerit, subiungit: Iam non licet dominicam cœnam manducare, perinde ac si dixerit, Dominica cœna, concordie symbolum est, nec dissidentes admittit animos: at vos dissidetis inuicem, & non communem cœnam, sed priuatam quisque suam edere parat. Adde, quod Paulus nec verbum quidem facit de remissione peccatorum.

Eucharistia est sacramentum vnitatis.

1. Cor. 10.

1. Cor. 10.

torum, quum tamen integrè totum ipsius
mysterij recenseat ordinem, secundum
quod à Christo pridem fuerat edoctus.

II.

Quis iam ex dictis & authoribus & scri-
pturis non luculenter intelligit Euchari-
stiam unionis esse sacramentum, & non
remissionis peccatorum? Nam peccata quàm-
tum ad culpam, per sacramentum absolu-
tionis ante deleatur oportet. Nam & hoc
absolutus (vt Lutherus affirmat) omnino
credere tenetur. Quòd si verè deleta sint
peccata, quid opus fuerit iam aliud sacra-
mentum pro culpis redimendis accipere,
quum sint per sacramentum absolutionis
antea remissa? Cæterum ob id Lutherus
contendit eam esse sacramentum remissio-
nis peccatorum, quòd de remissione pec-
catorum in consecratione sanguinis facta
sit mentio. Verum istud quàm nihil insti-
tuto suo conducat, mox docebimus. Ex
hac tamen basi struere molitur, & perti-
nacissimè quidem, vt credamus remissio-
nem peccatorum per istud sacramentum
nobis esse promissam: atq; vt ferè fit, vno
quopiam errore semel admissio, procliu-
ter ad cõplures alios dilabimur. Ita Lu-
therus hoc errore posito seipsum in alios

*Non licet
nisi pura
conscientia
ad Eucha-
ristiam ac-
cedere.*

absurdissimos fœde præcipitavit. E quib⁹
hic vnus & pestilētissimus omnium est, &
sceleratissimis & inquinatissimis homini-
bus ad hoc sacramentum tutò licebit ac-
cedere. Quam opinionem hæcenus tota
prorsus orthodoxorū ecclesia ceu maxi-
me detestandā abhorruit, Paulo ipso pror-
sus reclamāte, quum dicat, & qui indignè
accedit, iudiciū sibi māducat & bibit, non
diiudicās corpus domini. Quamobrem &
prius oportet à peccatis resipiscere, simul
& absolutionē à sacerdote quopiā accipe-
re, quàm ad hoc sacramētū accedere quis
præsumat. Postquā autē hæc dignè fece-
rit, nō inficior quin ad delēdas peccatorū
reliquias Eucharistia plurimū cōferat, &
maximè quatenus volut sacrificiū deo pro
peccatis offertur. Nā quatenus sacrificiū
est, representat illud summū Christi sa-
crificiū, quo patri seipsū obtulit in cruce,
ubi & sanguinē suū fudit in remissionē pec-
catorū. Id enī pridē in cœna pollicebatur,
dicens: Hic est sanguis me⁹ noui testamēti,
qui pro vobis & pro multis effunderetur in
remissionē peccatorū. Ecce pro sanguinis
effusione remissio peccatorū promittitur,
nō pro calicis potatione. Neq; enim dixit:

1. Corin. II.

*Dignè cō-
municantē
delentur
peccata.*

Matt. 26.

Hic est sanguis qui à multis bibetur in remissionem peccatorum: sed, Hic est sanguis qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non igitur pro potatione calicis in cena, sed pro effusione sanguinis in cruce, remissio peccatorum fuerat promissa. Quamobrem nec Eucharistia sacramentum est remissionis peccatorum, quando quidem & solis illis quibus antea sint remissa peccata, conferri debeat. Nam tales idonei sunt qui deo per Eucharistiam uniantur, non autem illi qui nondum abluti sunt, neque peccatis adhuc omnino renunciarunt. Porro certum est quod effusio sanguinis in cruce valuit ad peccatorum omnium abolitionem. Atque ideo quum sacrificium corporis & sanguinis oblatum in missa referat ipsum crucis sacrificium, sit ut quoties in missa corpus & sanguinem Christi sub panis & vini speciebus offerimus, toties non nihil ex rubigine peccatorum adimatur, & ipse reliquiae peccatorum his pro quibus hoc sacrificium offertur, haud dubie remissiones euadant. Neque tamen ob istud consequitur, quod sordidis & sceleratis qui non se prius expiauerint, hæc sancta con-

Impenitentes non poterunt dignè communicare.

etiam in missa

de missa

ferenda sint, quā id ipsum olim fieri Christi-
 stus apertè veruerit, dicēs: Ne detis quod *Matth. 7.*
 sanctum est canibus, neque proieceritis
 margaritas vestras ante porcos. Non est
 igitur hoc sanctissimum sacramētum cui-
 us exhibendum, qui sibi cōsciūs alicuius
 mortalis criminis, non seipsum ab eodem
 antea diligenter expurgauerit, sed his so-
 lis qui prius excusserint sese, & quoad fie-
 ri potest, ab omni sorde letaliter inficien-
 tē diligentius expiauerint. His (inquam)
 cibus iste sacer ministrandus est, non au-
 tem canibus aut porcis. Nam hi ne-
 quaquam antea seipsum probarunt, ne-
 que diiudicarunt corpus domini, sed il-
 lotis pedibus in hunc sacerrimum cibum
 irruunt.

Duo igitur sunt quæ per ordinem re- **III.**
 sollemus. Alterum, quod missa testamen-
 tum sit: alterum, quod ipsa non sit opus &
 sacrificium. Nam vtrumque Lutherus &
 sanè pluribus astruere conatur. Sed de
 testamento dicemus prius, quādoquidem
 & hoc velut immobile fundamentum to-
 tius structuræ suæ Lutherus posuerit. Sic
 enī scribit in captiuitate sua Babylonica:
 Stet ergo primum, & infallibiliter, missam

» seu sacramentum altaris, esse testamētura
 » Christi, quod moriens post se reliquit di-
 » stribuendum suis fidelibus. Sic enim ha-
 » bēt eius verba: Hic calix nouum testamē-
 » tum in meo sanguine. Stet in quā ista ve-
 » ritas vt fundamētū immobile, super quod
 » omnia struemus quæ dicenda sunt, hoc e-
 » nim videbis, vt subuertemus omnes ho-
 » minum impietates in hoc dulcissimum sa-
 » cramētum inuectas. Verax ergo Christus
 » verè dicit hoc esse nouum testamentum
 » in sanguine suo pro nobis fuso. Huc vsq;
 Lutherus.

Roffensis.

Hic primum aduerte lector quàm vafre
 suum dogma profiteatur inuoluens hæc
 omnia simul, missam, & sacramentum alta-
 ris, & testamentum Christi, atq; ita ex his
 tribus vnum faciens. Stet (inquit) primum
 & infallibiliter missam seu sacramentum
 altaris esse testamentum Christi. Verunta-
 men postea nec semel tantum inuenies
 missam ab eo dici promissionem, & sacra-
 mentum altaris esse rem annexam promif-
 sioni. Satis vtique constat missam seu sa-
 cramentum altaris non esse promissionem,
 tametsi per eius sumptionem bona pluri-
 ma promittantur, sed de hac re mox plu-

ribus dicturi sumus. Porro quod subdit, Quod moriens post se reliquit distribuendum suis fidelibus: quis vnquam audiuit testamentum esse distribuendum? An non ea potius distribuenda sint, de quibus testamentum conficitur? Sed hæc est hominis vafricies, vt omnia cōfundat, intricet, inuoluat: nimirum vt quoties in arcto cōstitutus premitur, inuolucro quopiam è manibus elabatur protinus. Sed & verba Christi quæ producit, nihil ad hanc rem conferunt. Neque enim Christus his verbis distribui quicquam iussit præter corpus & sanguinem. Quòd si quicquam hic legatum sit, id oportet aut corpus aut sanguinem esse Christi. Nam remissio peccatorum hic neutiquam legatur. Neque enim pro sanguinis potatione remissio peccatorum (vt diximus) promittitur, sed ob effusionem ipsius in cruce. Quòd verò iam testamenti Christus meminerit, ideo fit, vt ipsum effusione sui sanguinis in cruce confirmatum ostendat, non vt sanguinem aut calicem testamentum faciat, què admodum Lutherus fallaciter insinulat, sed magis vt nouū testamētū, hoc est legē nouā à se latā, pariter & cuncta quæ in ea

promissa sunt, suo sanguine doceat esse corroborata.

IIII. Cæterum quàm sit hoc Lutheranum fundamentum immobile, & quàm firmam inde structuram erigat, paulo post videbimus. Quòd autem postremo loco dicit veracem esse Christum: profectò verax, imò veracissimus Christus est. At Luthe- ro nihil est mendacius, qui Christo id quod is nunquam protulit, ceu verè pro- latum adscribere non veretur. Falsissimū

Calix non est testamē- tum nouū. enim est quòd Christus, ad Lutheri sen- sum, vsquam asseruit calicem esse testamē- tum nouum, quod & inferius ostēdemus. Interim videamus, quibus verbis Rex il- lustrissimus hunc errorem taxauit.

Verba re- gis.

Non contendam (inquit) cum eo de te- stamento, & promissione, & tota illa defi- nitione & applicatione testamenti ad sa- cramentū. Non ero tam molestus ei quàm alios fortassis inueniet, si qui bonam ei partem istius fundamenti subruerint, qui & testamentum nouum dicant promissio- nem esse legis Euangelicæ, quemadmodū vetus fuit Mosaicæ, & testamentum istud negent à Lutheo satis scitè tractari. neq; enim testatori nuncupandum esse nomi-

natim quid relinquat hæredi quem ex asse
instituat: neq; remissionem peccatorum,
quam pro hæreditate nūcupatam Luthe-
rus ait, idem esse quod regnum cœlorum,
sed viam potius ad cœlum. Quas res, at-
que alias item aliquot quisquis vrgere ve-
lit ac premere, possit fundamenti Luthe-
rani structuram machinis alicunde con-
cutere: verum istud eis permittam qui vo-
lent. Hactenus illustrissimus Rex.

Ecce quàm apertissimis verbis regia
celsitudo breuiter subindicauit, quibus
modis is error conuelli possit. Et quan-
quam nos id fusius ostēderimus inter cō-
futandam assertionem articulorum Lu-
theri articulo. 15. nunc tamen plusculum
aliquid adiiciemus. Euoluat quisquis vo-
let vniuersam scripturam sacram, non plu-
ra quæ testamenta noua dicantur, inue-
niet, quàm vnum. Vnicum enim est Pau-
lo testamentum nouum, quemadmodum
ad Hebræos octauo nonoq; capite ma-
nifestum est, & nos inferius ostendemus.
Neque opinor Lutherum posse subterfu-
gere quin de testamento nouo loquatur.
Nā id eius probationes manifestant. Pro-
bat enim ex eo missam esse testamentum,

Roffensis.

*Vnicū est
testamentū
nouum.*

quòd dixerit Christus: Hic calix noui testamētum est in meo sanguine. Et postea subdit: Verax ergo Christ⁹ verè dicit hoc esse nouum testamētum in sanguine suo. Quamobrem nec potest Lutherus hic de alio quàm de nouo testamento loqui. Ceterum vt est ingenio satis vafro versutoque, definitionem testamēti quādam introducit, quam & missæ conatur accomodare: quæ qualis fuerit, primum audiamus. Testamentum (inquit) absque dubio est promissio morituri, qua nuncupat hæreditatem suam, & instituit hæredes. Neque nos istam testamēti definitionem respueamus, sed & eā docebimus legi nouæ, quæ & Paulo testamētū nouum dicitur, aptissimè conquadrate. Nam in ea Christus, qui pro peccatoribus erat moriturus, & sanguinem ad illius corroborationem fusurus, hæreditatem suam, nempe cœlestē regnum, promisit. Hæredes verò pauperes spiritu, mites, lugentes, auidos iustitiæ, misericordes, mundo corde, pacificos, & denique propter iustitiam persecutionem passos instituit. Beati (inquit) pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum ecelorum &c. Ecce definitio dicta non ineptè

Testamētū quid sit secundum Lutherum.

Matt. 5.

quadrat in legem nouam, quum & huic
singula illius membra conueniant. Cæte-
rum quod Lutherus conatur eam accom-
modare missæ, tam inuitum est, ac si per
capillos repugnantem velit pertrahere.
Quam rem facile perspicies optime le-
ctor, si diligenter expendas cuncta Luthe-
ri verba, quibus missæ conatur hanc suã
definitionem adaptare. Sic enim ait:

Inuoluit itaq; testamētum primò mor-
tem testatoris, deinde hereditatis promif-
sionem, & hereditatis nuncupationem.

*Verba Lu-
theri.*

Attende lector quàm inuolutè sua tra-
dit. Inuoluit (inquit) testamentum primò
mortem testatoris. Profecto testamētum,
vt certo constabiliatur, testatoris mortem
exigit. Et huic Paulus astipulatur dicens:
Testamentum in mortuis confirmatum
est. Ceterum quod morte cōfirmatum est,
aliud ab ipsa morte sit oportet, mortem-
que ipsam antecedit necessum est. Quam-
obrem neque testamentum sic inuoluit
testatoris mortem ceu rem legatam, sed
inquam legatorum confirmatricem. Lu-
therus tamen non ita Christi mortem in-
uolui contendit, ceu rem legatam. Nam
subdit: In verbis istis clarè videmus:

Roffensis.

Hebr. 9.

Mortem suam Christus testatur, dum dicit, Hoc est corpus meum quod tradetur: hic sanguis meus qui effundetur.

Heb. 9.

Ecce lector, Hic Lutherus Christum facit testari suam mortem, non autem sua morte corroborare testamentum, planè contra Paulum, qui clamat Christum sua morte testamentum suum corroborasse. Sed neque quicquam adminiculatur ea capita quæ citavit ex Paulo, quum Paulus tam apertè cap. 9. ad Hebræos, verus testamentū a nouo discriminet, inquit: Ob id noui testamenti conciliator est Christus, vt morte intercedente ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerant sub priori testamento, ij qui vocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis. En lector, apertissimè Paulus explicuit iis verbis prius quoddam testamentum antecessisse, nempe legem veterem, quæ multarum præuaricationum occasio fuit. Post quod, subsecutum est alterum nouum, vtique lex noua, cuius conciliator erat Christus, quam sua morte sic intercedente cōstabiliuit, vt etiam omnes illas præuaricationes aboleret penitus. Hoc nouo testamento cœleste re-

gnum, velut æterna hæreditas, promissum fuit: hæredes autem instituuntur ij, qui a deo vocati sunt.

Cernis itaque lector optime, discrimen veteris & novi testamenti. Cernis & mortem Christi nõ ipsum testamētū esse, sed ipsius testamēti ratificatricē. Cernis identidē qui sint hæredes, nempe qui vocati sunt. Cernis postremo quæ sit hæreditas: non utique remissio peccatorum, quæ per Christi mortem abolerentur, sed æterna magis in cœlis beatitudo, ad quam nisi remissis antè peccatis nemo conscensurus est. Cæterum ut mortem a testamento diversam nemo nõ intelligat, Paulus id ipsum eodē loco manifestè docet. Vbi (inquit) testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris. Nam testamentum in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet quum vivit testator. Quis hic nõ videt testamētū præire testatoris mortē, quanquã citra mortē omnino sit invalidū. Nondū (inquit) valet quamdiu vivit testator. Quibus verbis etiã plane convincitur, sacramenta corporis & sanguinis Christi nõ fuisse testamētū novū, quandoquidem & ipsa invalida fuerant ipso

V
Epilozes.

*Discrimen
inter mor-
tem & te-
stamētum
Heb. 9.*

V
*Testamētum
non est
mortis*

Contra Capti. Babyl. Cap. V.

testatore nōdum mortuo. Dilucidum igitur ex his est, ineptissime Lutherum collegisse, quum paulo post subdat.

- » Vides ergo quòd missa, quā vocamus, sit
- » promissio remissionis peccatorum a deo
- » nobis facta, & talis promissio quæ per
- » mortem filij dei firmata sit.

Hic nisi Lutherus existimet cūctos qui sint ista lecturi, plane cæcos esse, miror quòd talem vnquam collectionem efferre non puduerit, quum nihil adhuc antecesserit probatum, vnde posset eiusmodi collectionem efferre. Insanit profecto, si credat homines talibus ineptiis posse fascinari. Recte nimirū istud Euāgelio congruit, quo nobis & remissio peccatorum & cæleste regnum promittuntur: at missæ nequaquam, quū non ob eam, sed ob sanguinis effusionē sit promissa peccatorum remissio, vt iam ante diximus, & mox dicemus apertius.

VI.
Testamenti noui definitio.

Testamentum itaque nouum, si quis aptè iuxta scripturas definire cupiat, recte dixerit esse legem nouam a Christo latam & eius ob signatā sanguine, cuius professores heredes instituuntur cælestis regni. Ecce definitionem hic habes ex omnibus causis

causis integratam. Materiali primum, quū dicitur, Lex. formali, quum subiungitur, noua. Efficienti, quum adiicitur, à Christo lata. Instrumentali, quum adiungitur, eius ob signata sanguine. Finali demum, quum apponitur, cuius professores instituantur heredes cœlestis regni. Cæterum & huius definitionis mēbra singula, scripturarum testimoniis abundè roborabimus.

III

Principio, quòd testamentum nouum sit noua lex, Paulus non solum ex iis quæ superius ex epistola ad Hebræos nono capite produximus, verumetiam ex octauo manifestius declarat, vbi docet Christum excellentius fuisse sortitum sacerdotium, quā sacerdotes veteris testamēti, ac proinde testamenti præstātoris intercessorem esse, nimirum ipsius de quo citat prædixisse Hieremiam: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus illorum in die quum apprehenderem manum illorum, vt educerem eos ex Aegypto: quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & ego negle-

Testamen-
tum nouū
est lex noua

Hieremia
31.

Etui eos habui, dicit dominus. Hoc inquit vaticinium Paulus ibi citat, & pergit ex eodem propheta docere quid sit testamentum nouum. Nam hoc est (inquit) testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus deus: dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas.

VII.

Testamentum nouum est sanguine Christi confirmatum.

Ecce iam hic habes lector, quid sit testamentum nouum, nempe leges nouae cordibus hominum inscriptae. Has Christus ipse tulit ac promulgauit, nequaquam chartis & atramento, sed cordibus auditorum inscribens. Porro quod easdem & sanguine ratificauerit suo, Paulus haud multo post, nempe capite nono, palam astruit, vbi & docet hoc testamentum nouum eximio Christi sanguine ratum fieri, quemadmodum & vetus illud antea pecudum sanguine confirmabatur. Quum (inquit) Moses omne praecipitum iuxta legem exposuisset omni populo, sumpto sanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, simul & ipsum librum, & totum populum asperxit, dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandauit vobis deus. Haec Paulus.

Et

Et hic adverte lector optime, quam similibus Moses vsus erat verbis in testamēti veteris cōfirmatione, his quibus euāgelistæ referūt vsus fuisse Christū in cōfirmatione noui. Sic enim dixit Moses, Hic est sanguis testamēti quod mādauit vobis deus. Hoc pro testamēto veteri Moses dixit: Matthæus autē & Marcus Christū similia protulisse verba testātūr, quum sui sanguinis poculū sub cœnā discipulis porrexisset. Nam Marcus ita scripsit, Hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorum. Fūdebatur enim uero prius in lege veteri vitulorū & hircorū sanguis tā pro peccato, quā ob veteris testamēti cōfirmationē: sed illo sanguis nimis quā inualidus fuit nō solū ad peccati deletionē, verum etiā ad perfectionē illius testamēti cōstabilendā. Fuit enim impotēs ad delendum peccatū, quē admodū & Paulus testatur dicēs: Nō potuit sanguis taurorū & hircorū auferre peccata. Sanguis uero Christi (quō & nouū testamētū rificatū est) sicut in remissionē peccatorū effundebatur, ita uerē talem prætūit remissionem. Quis hic non perspicit singula fun-

Cōparatio pulchra.

Exodi. 24.

Marci 14.

Heb. 9.

Q

gulis vel ad amussim respondere, Moses inquam Christo, calicem calici, sanguinem sanguini, testamentum testamento? Nam ut Moses accepto calice, in quo sanguis pecudum fuit, eodem stabilire vetus testamentum est molitus, ita & Christus accepto calice, quo proprius ipsius sanguis continebatur, eodem prorsus nouum confirmavit testamentum.

Non est ergo sanguis testamentum nouum, quandoquidem sanguine testamentum nouum confirmatur. Quis enim non perspicit diuersa esse oportere duo haec, nimirum id quo quicquam eeu quodam instrumento confirmatur, & illud quod ita confirmatur? Quamobrem quum calix sanguinis Christi sit id quo testamentum nouum corroboratur, ut ex Paulo iam ostendimus,

Hebr. 9.

Nam sicut vetus illud sanguine pecudum confirmabatur, ita & nouum sanguine Christi. Quum inquam ista sic se habet, plane sua inscitiam prodit Lutherus, qui vel Christi sanguinem, vel sanguinis eius calicem, nouum appellat testamentum. Non est ergo sanguis testamentum nouum, tamen si sanguine testamentum ipsum fuerat solidissime corroboratum. Cui sententiae patres omnes

Sanguis
Christi non
est testamen-
tum.

asti.

asti pulantur, quicunque putantur & sunt
orthodoxi.

Sed & istud annotandum est, quēadmo- V. III.
dū id quod Moses protulit, nēpe, Hic est
sanguis testamenti: suppleri debet per vo-
culā aliquā quæ ratificationē significat, vt
dicamus, Hic est sanguis cōfirmatiuus seu
constabilitiuus eius testamēti, quod man-
davit vobis deus: sic & sermo Christi sup-
plendus est, mimirū vt intelligamus dixit-
se Christū, Hic est sanguis meus cōfirma-
tius noui testamenti. Dilucidū igitur est
neque Christi sanguinem posse nouum
testamentum dici, sicut neque vitulorum
& hircorum sanguis testamentum vetus
dicebatur.

*Verba Christi
supplenda.*

Adde quōd istud quoque satis apertum
est ex ipsius Lucae verbis. Neque enim di-
xit apud Lucam Christus, Hic sanguis *Luca. 22*
meus est testamentum nouum, sed, Hoc
poculum testamentum nouum in meo
sanguine, seu per meum sanguinem, vt a-
lias traduxit. Non est ergo sanguis testa-
mentum nouum: & multo minus calix aut
poculū ita dici meretur. Quis em̄ ita insa-
niat, vt Moseos poculū aut craterā quā ip-
se plenā sanguine manu tenuit, vet^o fuisse

Q ij

testamentum opinetur? Quod si neque
 poculū, neque sanguis in poculo sit testa-
 mentum nouū, palā est sermonē hūc ecli-
 psim pati, verboque carere quod ratifi-
 cationē exprimat: ad quem sensum haec-
 nus cuncti patres tam Pauli quam Lucæ
 verba duxerunt intelligenda: neque ante
 Lutherum repertus est quisquā, qui vel
 poculū vel sanguinē ausus est testamentū
 interpretari. Tantū igitur hoc loco Chri-
 stus ob id noui testamēti facit mētionem,
 quod istud sanguine Christi ratū habebit-
 tur, nō ideo quod missa testamētū sit, quæ
 admodū Lutherus pestiferē machinatus
 est. Arrogat enim sibi Lutherus libertatē,
 imō licentiā quandā interpretādi scrip-
 turas quasi libet pro sui cerebri somniis, im-
 nāque phrenesi. Sic enim superius Christi
 verba, quū dixit, Hoc est corpus meū, hoc
 id est hic panis interpretabatur. Nūc ve-
 rò dicit, Calix, id est missa, est nouū testa-
 mentum. Sed neque calix est missa, neque
 horū alterutrū est testamentū nouum: que-
 res vel curētis dilucida est, qui quid sit
 testamentū nouum, haudquaquam igno-
 rant.

Ad hæc, Quum de corpore suo locutus

*Luthe. dis-
 tortè inter-
 pretatur
 scripturas.*

esset Christus, nihil omnino testamēti si-
 ue noui seu veteris meminit, quod tamen
 ad missam nihilominus pertinere quā
 sanguinem, quis dubitat? Quod & ideo fe-
 cisse clarissimū est, quod sanguinis effu-
 sio, mortis indicium sit. Quoniam igitur
 testamētum (vt inquit Paulus) in mortuis
 ratū habetur, & mortis non inefficax sym-
 bolum est plena sanguinis effusio, sangui-
 ne decuit testamētum constabiliri. Quod
 si voluisset Christus his verbis intelli-
 gī missam esse testamētum nouum, testamen-
 ti non minus meminisset quum de corpo-
 re suo, quā quum de sanguine fuisset lo-
 cutus, quū ad missam æquē pertineat cor-
 poris atque sanguinis sui sacramentum.
 Liqueat igitur ex his, testamentum nouum
 esse legem nouam a Christo latam, & eius
 ob signatam sanguine.

Iam verò quantum ad postremam atti-
 net particulam, nimirum hanc, cuius pro-
 fessores heredes instituuntur cœlestis re-
 gni, adeo palam est ex scripturis, ob hunc
 causam cætera fuisse facta, nimirum vt ho-
 mines huius legis obseruatores, cœle-
 stis regnum velut hæreditarium adipisce-
 rentur: vt omnino superuacaneum sit.

Q. iij

*Christus nō
 meminit
 testamenti
 cum de cor-
 pore suo lo-
 queretur.*

*Christus nō
 meminit
 testamenti
 cum de cor-
 pore suo lo-
 queretur.*

IX.

vllas in hanc partem afferre probationes.
 Manifestum est igitur hanc quam attulimus, esse novi testamenti definitionem.
 Quod si contenderit Lutherus alium huius vocis usum apud Lucam esse, quam apud cæteros Evangelistas, id nemini persuadebit opinor. Nam etsi verbis aliis Evangelistæ dominicam cœnam enarraerint, sensu tamē oportet fateamur omnes penitus convenire. Quamobrem & apud Lucam nihil aliud hæc vox testamentum significat, quàm quod apud Matthæum & Marcum.

Anthypophora.

Evangelista non dissidet de cœna ultima.

Quoniam igitur apud istos, vti superius ostēdimus, novum testamentū nihil aliud est, quàm lex nova, cōficitur & apud Lucam nec aliud quicquā significare posse, quàm legem novam. Quamobrem & funditus corrui vniuersa Lutheri structura, quam super hoc fundamentū conatus est erigere. Quem ergo iam Lutherum, aut quod dignum epitheto censebimus, qui tam falsum fundamentum & ex Evangelio subornare molitus sit? Veracem hunc propheta tam appellabimus, qui tantum & tam infigne mendacium ex Christi verbis commentus est? Aut pastorem bonum Christi

fiani gregis, qui tam perniciosè tot sedu-
 xit animas? Aut sacrorum denique biblio-
 rum correctorem, qui sic Euāgelium cor-
 rumpere nihil est veritus? Quod tibi Lu-
 there iam subterfugium esse poterit? quæ
 tergiuersatio? quibus technis, quibusve
 strophis iam effugies? An non hæc scripsi-
 sti: Stet ergo primum & infallibiliter mis-
 sam seu sacramentum altaris esse testamen-
 tum Christi? Et istud probare moliris ex
 his verbis quæ dixit Christus, Hic calix
 nouum testamentum in meo sanguine. Et
 ingeminas: Stet inquam ista veritas, vt fun-
 damentum immobile. At iam Luthere cer-
 nis, opinor, ea Christi verba nihil institu-
 to tuo conducere posse. Neque enim ipse
 per testamentū nouū missam voluit intel-
 ligi, sed legem nouam, legem videlicet E-
 uangelicam, quæ præcepta simul & pro-
 missa, necnon & sacramenta complectitur
 omnia. O nobilis olim Germania, quæ nul-
 lis hactenus Bohemorum hæresibus fœ-
 dari potueras, quoadusque patieris hanc
 Lutheranam pestem in tua viscera grassa-
 ri? Et vos Lutherani, viri alioqui doctissi-
 mi pariter & eximij, nisi quòd de magi-
 stro tam pestifero gloriamini, pudeat vos

*Doctrina
 Luth. per-
 niciofa.
 Apostro-
 phe.*

*Exclama-
 tio.*

Q. iij

tādem vsque adeo turpiter fuisse delusos.
 Nam vt hic fœdè simul & perniciosè lapsus est, ita potuisse & in aliis quibus ecclesiæ catholicæ contradicit, labi, nemo dubitare potest.

X. Et quanquam sit vsque adeo fœdè perniciosè que lapsus, non erubescit tamen illustriſſimo regi insultare, quod is intactū reliquerit hoc negocium. Protestatur (inquit) se relicturum intactum id, quod maxime omnium ei confutandum fuerat, nempe robur meum principale, & argumentum capitale, vbi ex verbis Christi probaui missam esse testamentum & promissionem, ideo non posse opus aut sacrificium dici. Hæc Lutherus.

Roffensis. At rex nusquam protestatus est se relicturum intactum, quanquā dixerit se nolle multis in hac re contendere. Breuiter enim & paucis indicauit, quibus rationibus error ille possit refelli, & ex eo potissimum, quod testamentum nouum sit promissio quædam per legem Euangelicam facta, quemadmodum vetus fuit per Mosaicam. Nam vt in Mosaica lege terrena promittebantur, ita & in Euangelica lege cælestia.

Quando igitur vnicum est nouum te-
 stamentum, vti supra docuimus, palam est
 non posse Missam testamētum nouum di-
 ci. Conuincit insuper ipse Rex peccatorū
 remissionem (quam pro hæreditate nun-
 cupatam Lutherus aiebat) non idem esse
 quod cœlorum regnum, quum sit via po-
 tius ad regnum, & adiumentum quoddam,
 quo paulo post ipsam hæreditatem con-
 sequemur, modò persistamus in ipsa puri-
 tate. Neque enim omnis cui remissio pec-
 catorum obtigit, cœlestem hæreditatem
 assecutus est. Quamobrem vt nemo rectè
 dixerit viam esse terminum, aut medium
 ad finem ipsum finē, ita nec remissio pec-
 catorum cœlestis hæreditas dici poterit.
 His paucis regia celsitudo plane subru-
 bat Lutheranum fundamentum, quo sta-
 tuere molitus est missam esse testamen-
 tum nouum. Quocirca quum hoc ipsum
 Lutherus principale suum robur appel-
 let, & argumentum capitale, quis nō per-
 spicit quod caduco sit innixus fundamento?
 Cæterum vt hic elabatur, multa (scio)
 diuerticula quæret, ac propterea tam va-
 rius ybique est, & ipso Proteo mutabi-
 lior. Nam aliquando missam vocat sacra-

*Remissio
 peccatorū
 non est re-
 gnum cœlo-
 rum.*

XI.

Varie ac-

mentum altaris, aliquando testamentum, nonnunquam testamentum Christi sacramento corporis & sanguinis sui commendatum, sæpissime promissionem, & nihil aliud quàm promissionem. Istudque mirum ideo facit, ut quum in horum quouis durius urgeatur, mox ad aliud confugiat. Quamobrem & singula refellamus necesse est.

Principio male cohærent, missam esse sacramentum altaris, & nihil aliud quàm promissionem. Nam apertissimum est, sacramentum altaris aliud esse quàm promissionem: quandoquidem sacramentum altaris nusquam est nisi sub panis & vini speciebus: quæ si nusquam extarent, maneret nihilominus ipsa Christi promissio. Adde, quòd ante panis & vini consecrationem promissio firma stat. At ante consecrationem ipsam nemo tam impudens est ut dixerit missam esse. Non est ergo missa promissio sola. Ad hæc, Si post consecrationem, sacramentum corporis, ut in multis ecclesiis fit, in pyxide repositum seruetur, adhuc manet sacramentum altaris: manet & ipsa promissio: nemo tamen sic insanit, ut dicat missam durare quam-

Sacramentum altaris non est promissio.

Missam non est promissio.

diu sacramentum in pyxide sit repositum, aut quamdiu promissio Christi firma perseverauerit. Quamobrem neque sacramentum altaris, neque sola promissio, missa dici poterit: sed nec proinde missa promissio est sacramento corporis & sanguinis Christi commendata. Manet enim promissio illa sacramento commendata, quamdiu sacramentum illud reseruatum fuerit. Nam utrumque manet & sacramentum & promissio, nec tamen extare tam diu missam, quisquam, nisi infaniam, audebit asserere. Non est ergo missa promissio, quæ sacramento corporis & sanguinis Christi commendatur: neque proinde missa testamentum est eodem sacramento commendatum. Nam Lutheri testamentum promissio quædam est: missa verò non est promissio. Nam si missa promissio fuerit, dicat velim constanter cuius rei promissio sit. Nam & in hoc se mirificè versipellem agit. Nonnunquam enim scribit missam esse promissionem mortis Christi, aliquando verò missam esse promissionem remissionis peccatorum. Illud verò firmare molitur ex eo quòd dixerit Christus, Hoc est corpus meum quod

*Missam non
est testamē-
tum.*

pro vobis tradetur, & Hic est sanguis qui pro vobis effundetur. his (inquit) verbis Christus mortē suā testatur. Proinde qui is qui testatur, promittat: promissionem mortis Christi, missam esse contendit. At istud stare non potest. Nā ipsa mors Christi præteriit. Christus (inquit Paulus) iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Promissio verò futuri est, & non eius quod præteriit. Quare missa, quæ iam fit, non est promissio mortis Christi.

Roman. 6.

Sed dicit Lutherus, in missa recenseri promissionem mortis Christi. Fateor: & ob id, missam quisquis dixerit esse representationem mortis Christi per sacramentum corporis & sanguinis eius, meo iudicio recte dixerit. Verum ex hoc non sequitur missam esse promissionem mortis Christi. Aliquando verò scribit missam esse promissionem remissionis peccatorum, ob id, quod dixerit Christus, Hic est sanguis qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Sed neque magis validum istud est. Nam si Christus (vbi Lutherus ait) mortem suam testatus est, qui dixerit, Hic est sanguis qui pro vobis effundetur: & ex hoc pendeat adiuncta par-

Missæ non est promissio remissionis peccatorum.

ticula, In remissionem peccatorū: palam est ob effusionē sanguinis, & non ob eius potationem, promissam esse remissionem peccatorum. Non est igitur missa promissio remissionis peccatorum, quando non ob sumptionem corporis & sanguinis in missa, sed ob eius effusionē quæ iam olim in cruce facta fuit, remissio peccatorum promittebatur. Et hæc opinor sufficienter missa nouum testamentum credatur.

MISSAM RECTE SACRIFICIUM & opus ab orthodoxis vocari.



Vando igitur abunde factis constitit missam haudquaquam testamentum esse, iam sexto loco disquiremus, num queat ipsa sacrificiū & opus dici. Nam

illud & pertinacissimè quidem Lutherus negat, inuincibili (si quis homini credat) argumentatione ductus, nimirū hac. Probauit (inquit) ex verbis Christi missam esse testamentum & promissionem, ideo nō posse opus & sacrificiū dici.

In hoc ariete Lutherus ita spem omnē *Luthe. non*

I.